

**www.e-rara.ch**

**Divi Gregorii Nazanzeni Episcopi, theologi, Graeca quaedam & sancta  
Carmina**

**Gregorius**

**Basileae, [1567]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1858>

Gloriae domini Dei et salvatoris nostri Iesu Christi, ad dexteram Dei patris sedentis, adversus  
Friderichum Staphylum, qui carnem eius gloriosam creaturam esse vult, Ioannis Langi Silesii  
christiana, ...

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

GLORIAE DOMINI  
 NI DEI ET SALVATORIS NO-  
 STRI IESV CHRISTI, AD DE-  
 xteram Dei patris sedentis, aduersus Fride-  
 richum Staphylum, qui carnem eius  
 gloriosam creaturam  
 esse uult,

IOANNIS LANGI SILESII CHRIS-  
 tiana, Catholica & Orthodoxa  
 Defensio.

*Confiteor tibi Pater, Domine caeli & terra, quod ab-  
 scondisti haec à sapientibus & prudentibus, & reuelas-  
 ti ea paruulis. Ita Pater: Quoniam sic fuit  
 beneplacitum coram te.*

Matth. 11.

IOAN. LANGI  
 GLORIAE DOMINI DEI ET  
 SALVATORIS NOSTRI IESV CHRIS-  
 ti, ad dexteram Dei Patris sedentis,  
 aduersus Friderichum Sta-  
 phylum, qui

CARNEM BIVS GLORIOSAM,  
*creaturam esse uult:*

IOANNIS LANGI CHRISTIANA,  
 Catholica & orthodoxa  
 Defensio.



*N* litteris exercitatus Ethnicis  
 Staphylus, libris uacare sanctioribus  
 Dehinc noua ueterisq; legis institit.  
 Quantum autem ad orthodoxiam  
 profecerit,

*M*ultos per annos in suis laboribus,  
 Non est uiro procliuè plano dicere.

*C*onstat sed illud ex suis opusculis,  
 In fratris ipsum uel leuem puluisculum  
 Matth. 7. *O*culo uidere, sed pedalem non trabem  
 Luc. 6. *I*n proprio considerare lumine:

*N*ec alterum esse hominè haresum doctum magis.

*I*llas perinde namq; callet singulas,  
 Digitos quasi tenet suos. Ceu fulmina  
 Has ergo in aduersarios torquet suos,  
 Denuciato Marte non placabili:  
 Sententijs sauis, cruentis, hosticis,

Capitale

Capitale mortis *hinc* preferentibus,  
 Modò hos, modò illos, grandibus terrenis minis,  
 Templiq; sacris exigens pomœrijs.

At ipsemet captus tenetur nexibus  
 Extra orthodoxiam, parentis & pium  
 Ecclesie sinum, uagantis heresis  
 Errore magno: ueritatis quæ officit  
 Luminibus, atq; dignitati obnunciat  
 Christi, sedentis ad Patris dexteram Dei  
 In gloria, quam habuit priusquam conditus  
 Hic orbis est, in Trinitatis gloria,  
 Cunctis colenda & angelis & hominibus:  
 Par cuius est honor, decus, potentia,  
 Diuinitatis unius, nec unius  
 Essentia minus sub existentijs  
 Tribus. Secundo ubi refertur ordine,  
 Numeroq; (sic loquamur ut sublimibus  
 De rebus, etsi non idoneè satis:  
 Ut in unitate tres fatens hypostases,  
 In trinitate unum tamen credas Deum,  
 Et dirimendo & uniendo gnauiter  
 Tum trinitatem, tum unitatem scilicet)  
 Vbi secundo, inquam, refertur ordine  
 Numeroq; nimirum secunda hypostasis  
 Christus *Ἰεσὺς Χριστὸς* (Latine quod sonat,  
 Deus homo, uersum) duplicis substantie  
 Qui creditur, sed unus atq; idem tamen  
 Persona in unica giga fortissimus,  
 Rapacis orci uictor & dira nevis.

Coequalitas  
 S. Trinitatis.

Jesus Christus  
 Homo Deus.

Psal. 18.

Nec numerum nec ordinem recipit, qui in trium substantia unus & solus est (Deus.) Faustus episcopus.

In sancta Trinitate dicitur & creditur esse } *tria* { Essentia, } una.  
 Natura,  
 Substantia,

*Triplex, siue unigenitus* { Existentia } triplex.  
 Subsistentia  
 Persona

Essentiæ uerbo indicatur Deitas ipsa: Hypostasis, essendi, existendi & subsistendi modus. Priore, ut *ipse*, ens, Deus: posterioribus, ut Pater, Filius, Spiritus sanctus: ingenuus, genitus, procedens. S. Iustinus Martyr.

Non essentias hæc esse dicimus, sed nomina existentiam cuiusq; ipsorum manifestantia. Nihil autem prohibet diuersorum nominum (& existentiarum) unam esse essentiam: sicut ediuerso diuersarum essentiarum unum creaturæ nomen. Basil. lib. 4. contr. Eunom.

Creditur à nobis sine confusione coniuncta sancta Trinitas, sine separatione distincta. August.

Creditur Patris & Filij & Spiritus sancti una deitas sub pari maiestate, & sub p̄a Trinitate. Creditur incorruptæ Trinitatis indiuisa substantia, quæ Græco uerbo *ἑνωσις* rectè credentibus dicitur. 1. 1. & 2. C. de summ. Trinit.

*Homo namq; non est diuidendus à Deo.*

*Coniunctio duarum naturarum in uno Christo.*

*Gemina nec est confusio substantia*

*Intelligenda: uera sed coniunctio.*

*O temperamentum nouum & mirabile.*

Prius faciunt Nestoriani, posterius Eutychiani & Dimocri.

Dimœritæ. O' mixtura noua, ò temperamentum admirandum. Greg. Theol. Ambo unum, temperamento cognata. Id.

Non separari fas est Filium hominis à Filio Dei. Augustinus.

*Diuisione Trinitati accederet*

*Persona quarta: quod nefas est dicere.*

*Non est Quaternitas in Trinitate.*

Qui suscepit, & quod suscepit, una est in Trinitate persona. August. de bon. perseuerant.

Non enim homine assumpto, personarum numerus auctus est: sed eadem Trinitas mansit. Idem epist. 102.

Solus in Trinitate Filius formam serui accepit, quæ forma illi ad unitatem personæ coaptata est: idem ut Filius Dei & Filius hominis, unus sit Iesus Christus: ne non Trinitas, sed Quaternitas prædicetur: quod absit à nobis. Idem tract. 99. in Ioan.

Trinitatis mysterio quarta non est addita persona. Vnita quippe, non confusa Verbi Dei hominisq; substantia: ut in Deum, quod ex nobis susceptum fuerat, perueniret: & illud quod nunquam fuerat, permaneret. O admirabile mysterium, ò inenarrabile commercium, ò mira semperq; miranda, semperq; amada diuinæ propitiationis benignitas. Idem lib. Medit. cap. 15.

*Confusione autem decus decederet  
Suum, caro diuina iam & compar Deo.*

*quod dicitur, condeus. id est dicitur, pardeus. Gregor. Theologus. Pascha (quod Christus est) est dicitur, Trinitatis honor. Idem.*

Dominus regnauit, decorem indutus est. Indutus est fortitudinem, & præcinxit se. Psal. 92.

*Tantum attulit genitura prima à mortuis  
Dignationis atq; honorificentia  
Incorporato gratia nostra Deo.  
In quo homine namq; natus ipſus eſt Deus,  
Idem in Deo deinde natus eſt homo.*

Hæc eſt natiuitas noua (primogenitura à mortuis)  
dum homo naſcitur in Deo, in quo homine Deus na-  
tus eſt. Tertull. de carn. Chriſti.

Formam ſerui rurfum in forma Dei renouari & glo-  
rificari oportuit, Hilarius.

Tertia die reſurrexit, non Deus in hominẽ, ſed ho-  
mo potius in Deũ. Ambr. de fide contr. Arrian. cap. 8.

Potior natura in inferiorem nata, fidem facit, infe-  
riorem naturam naſci poſſe in potioſiorem, Hilarius lib.  
9. de Trinitate.

*In Trinitate  
non eſt crea-  
tura.*

*Nil ſancta Trinitas creati ſuſcipit.  
Sic uniuerſa habet fides Eccleſia,  
Trinum colentis numen unici Dei.*

Creaturæ natura, & creatrix Deitas, in unum &  
idem non copueniunt, Baſil. contr. Eunom. lib. 4.

Omnis ſubſtantia, quæ Deus Dominus non eſt,  
creatura eſt: & quæ creatura non eſt, Deus eſt. Nulla  
igitur differentia eſt in deitate Trinitatis: quoniam  
quod minus eſt Deo, Deus non eſt. Auguſt. in Pro-  
ſper. ſentent.

Sancta Trinitas non conſtat ex diuerſis: ſed una  
eſt Trinitatis Deitas. Athanaſius.

Nunquã Trinitas acceſſionem recepit (προσθήκη.)  
non admittitur (αὐθις) ut creatum quidquam uel  
adgnatum in Trinitate dicatur, aut cogitetur, Epiph.  
contr. Pneumatomach.

Nihil

Nihil prorsus diuinæ & beatæ Trinitatis creatum  
est. Basil. ad Antiochenos.

Hanc Staphylus impiè ac superbè reijcit  
De Trinitate fidem, atq. Christi gloria:  
Et catholicam non obtinet sententiam,  
Christum creaturæ trahens in ordinem,  
Censumq. nostrum de supercœlestibus:  
Non quatenus Verbum est, caro sed quatenus,  
Verbis, ut ipse ait, sed ipsis sensibus,  
Christum integrum de Trinitate exterminat:  
Cum diuidi non possit à Verbo caro,  
Hypostasis nisi queat dispescier,  
Persona & una, habitus statu saluo sui,  
Giganteo prorsus labore perperam  
Quod Antichristiana tentat heresis,  
Aut forsitan gemina nisi substantiæ  
Persona in una pernegetur unitas,  
Quod Christiano dicere est piaculum.  
At que sit & cuiusmodi caro, parùm  
Staphylus sapit: carnem secundum Filium,  
Sine Spiritu, tantummodo noscens Dei:  
Carnemq. Christi presidere nesciens  
Ad dexteram patris Dei in cœlestibus,  
Et inde uenturam in paterna gloria,  
Vt indicet superstites & mortuos.

Christus unus  
insolubilis.

1. Ioan. 4.

Cognitio Christi  
sui secundum  
spiritum.

Etsi cognouimus secundum carnem Christum, sed  
nunc iam non nouimus. 2. Cor. 5.

Carnem Christi ad dexteram Dei Patris in cœ-  
lis præ-

lis præsidere, & uenturam inde è suggestu Paternæ claritatis, &c. dixit Tertull.

*Fucum facit docto uiro philosophia  
Profana. Aristotelesq; perplexibilis.  
Forsan Lyceum nam frequentauit magis,  
Cultasq; Athenas, quàm Solomonis inclytam  
Pulchramq; porticum, magistri barbari,  
Hierusalemq; ipsam, scholamq; adèò Dei.  
Animas rudes docentis atq; simplices:  
Quæ non capit mentis proteruos spiritus  
Contentiosa, & gloria cupidos sue.*

Schola Dei,  
AG. 3.  
Matth. 11.  
1. Corin. 1.  
Iacob. 1.

Quid Athenis & Hierosolymis? Quid Academia  
& Ecclesiæ? Quid hæreticis & Christianis? Tertull.  
de Præscrip. hæret.

*Homo secularis Christianam non capit,  
Apostolorum traditam libris fidem:  
Nec Christiani credimus dialecticis  
Argutijs, philosophicis'ue nanijs:  
Sed publicanis atq; piscatoribus,  
Qui ueritatem prodidèrè simplicem,  
Illam magistro Spiritu docti Dei.*

Apostolicam fidem seculi homo non capit. Hi-  
larius.

Aufer hinc argumenta, ubi fides quæritur. Am-  
brosius.

Verba philosophorum excludit simplex ueritas pi-  
scatorum. Idem. Philosophorum stulta sapientia.  
Hieron. Ezech. 1.

Argutias

Argutias philosophiæ debemus, & nimio ocio.  
Beatus Rhenanus.

*Staphylus & haudquaquam potest concedere,  
Hominem extitisse quempiam, qui non siet  
Famulans creatura. Hoc cum ratio docet  
Humana, gnati prerogativa Dei  
Ignara: gnatus nec quid intersit Dei,  
Dei creatio: nec sciens quónam modo  
Deus creando res ab extra protulit,  
(Subbarbarè namq, hoc oportet dicere.)*

Non considerant hæretici, quæ sit differentia in-  
ter creaturam & filium. Cyrillus in Thesaur. lib. 12  
cap. 15.

Generare & creare non sunt idem. Aliud ergo est  
creatum, aliud genitum. Idem.

Creator ab extra producit: genitor ex seipso gene-  
rat. Idem.

Pater non ab extra, sed ex essentia sua filium ge-  
nuit. (ἐκ ἑωδου, ἀλλ' ἐκ τῆς αὐτοῦ ἑσσης.) Epiphan. contr.  
Samosat.

Omne creatum dissimile est genito, neque geni-  
tum simile creato. Omnia à Deo creata: solus filius  
Dei genitus. Epiphan.

Factura non est ex factoris essentia: Genitura au-  
tem ex gignentis essentia est. Non idem igitur est face-  
re & gignere.

Operatur Deus non ex seipso producens creatu-  
ras, sed operatiuè subsistens. Sicuti manibus ope-  
rans homo, non ex se projicit opus. Operatur Deus  
non manibus corporalibus. Basil. contr. Eunom. lib.  
4. & 5.

*At Filium unigenam è sinu suo edidit*

*Essentie*

*Essentia unius, sed alterius tamen  
 A Patre prorsus Filium existentia,  
 Diuinitus quâ sermo Patris Filius  
 Est ante tempus editus: sed non minus  
 Quâ corporatus ex beata Virgine,  
 Suo recepta carne sancta tempore,  
 Deus homo nostro in orbe natus prodijt,  
 Citra satum nascente carne ex Virgine,  
 Et cum satum ueniente Spiritu ex Deo,  
 Formante fœtum Spiritu sancto nouum,  
 Dei simul, simulq; Filius hominis  
 Omnem supra naturam (ἄνωθεν) satus,  
 Et increatè cretus increabilis.*

*Ἀπίστος ἀπίστος ἰπιδίη.*

Caro sine femine ex homine, Spiritus cum femine ex Deo. Tertull. Nouè nasci debebat nouæ natiuitatis dedicator. Idem, de carn. Christ.

Inusitatus corporis partus ex Virgine. Mirabilis mirabiliter natus est. August.

*Ita enim creandi uoce prisci sunt patres,  
 De corporatione tractantes Dei,  
 Penuria sermonis usi proprij:  
 Nihil uolentes in suis sententijs  
 Minus, creaturam quàm ut esse dicerent  
 Gnatum Dei, diuinitus sic editum.*

Sic Leo PP. Noua, inquit, & inaudita conuentio, Deus qui est, & qui erat, fit creatura.

Sic Gregorius Theologus dixit: ὁ ὦν ὑπὸ τῆς ἀκτίστου κτίσεως; Existens ille gignitur, increabilis creatur. Sententiæ

rentiæ acumini & dictionis uenustati per *inceptiuum*  
interim quoq; studens, qui doctoris eius mos est, Ifo-  
cratis elegantiam imitantis.

Sic Hilarius: Apostolica fides scit, in qua dispensa-  
tione temporis Christus creatus, & in qua temporū  
æternitate sit natus.

Licet homo factum sit Verbum Dei: attamen etiā  
sic est non ultra nos solum, sed etiam ultra creaturam  
omnem, non tantum homo secundum nos, sed idem  
& Deus de cælo. Cyrill. Alex. ad Theodorit.

Habemus quod maius est tota creatura, & glorio-  
sius: quod est corpus Domini. Athan. ad Theophil.  
libr. II.

<i>Adam secundum, hominē nouū, atq; cælitūs</i>	<i>Secundus</i>
<i>Datum, ferentem credulis uitam suis,</i>	<i>Adam.</i>
<i>(Contrā quā Adā primus, parens mortalium,</i>	
<i>Homo uetus, terrestris, atq; fonticus,</i>	<i>I. Cor. 15.</i>
<i>Tristem suum transmisit ad genus necem)</i>	<i>Col. 1.</i>
<i>Resuscitatione natum denuo</i>	
<i>A mortuis, initium surgentium,</i>	<i>Primogeni-</i>
<i>Iam spiritalem hominem, Deum atq; deificum,</i>	<i>tus à mor-</i>
<i>Et eleuatum omnes super cæli plagas,</i>	<i>tuis.</i>
<i>Potentiaq; gloriaq; principem.</i>	<i>Eph. 1.</i>
	<i>Hebr. 7.</i>
	<i>Psal. 23.</i>

De genitura Verbi, & primogenitura Christi à mor-  
tuis, ita cum Platonis agit Augustinus: An fortē  
uos offendit inuistratus corporis partus ex Virgine?  
Hoc ad pietatem fuscipiendam uos debet adducere,  
quod mirabilis mirabiliter natus est. An uerò, quod  
ipsum corpus morte depositum, & in melius resurre-  
ctione mutatum, iam incorruptibile atq; immortale  
in superna

in superna subuexit? de Ciuit. lib. 10. cap. 29.

Verbum Dei Christus, primus inuenitur inter omnes homines, quos assumpta humana natura reformauit. Cyrillus in Theaur. lib. 10.

Christus humanam naturam stola sanctæ resurrectionis & immortalitatis glorificans, uexit super omnes cœlos, super omnes choros angelorum, super Cherubin & Seraphin, collocans ad dexteram Dei Patris. Hanc laudant angeli, adorant dominationes, &c. August. Meditat. lib. cap. 15.

1. Petr. 3. 5. *Atq; unicūm archiepiscopum mentis pia,*  
*Et prabitorem gratiæ largissimum,*  
*Quod unius regale munus est Dei.*  
 Archiepiscopus animarū.  
 Luc. 10. *Huius potestas summa sceptris regijs*  
 Matth. 11. 28. *Terras iacentes & profunda sidera*  
*Complet, gubernat, ordinat, seruat, fouet.*  
 Act. 15. *Ille & piorum templa sancta cordium,*  
 1. Cor. 2. 6. *Fide prius purgata sedulo colit:*  
 2. Cor. 6. *In his manet libens, in his inambulat,*  
 Leuit. 26. *Non alteris gaudens magis sacrarijs,*  
 In Christianis habitans. *Crura illius statuarum ad instar marmoris*  
 Cantici 5. *Supra bases quæ collocantur aureas.*

Nos ipsi templum Dei esse debemus: & in quantum sumus, in tantum ad eius societatem & adoptionis familiam pertinemus. Non in omnibus autem habitat: atque etiam in quibus habitat, non æqualiter habitat. Vnde namque in omnibus sanctis alij alijs sunt sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem Deum? Et illi ab eo longè esse dicuntur, qui peccando dissimilimi facti sunt: & illi ei appropinquare,

quare, qui eius similitudinem piè uiuendo recipiunt.  
August. epist. 57.

Cui alij nisi uerbo Dei incarnato conuenit dici:  
Crura eius columnæ marmoreæ, fundatæ super bases  
aureas? Solus enim Christus inambulatur animis, &  
graditur in mente sanctorum. Ambrosius lib. 3. de  
Fid. cap. 5.

Atq; hunc creaturam uocare non pudet  
Staphylum, atq; eos quorum ille laudat haresim,  
Doctos in orbe nominis clari uiros:  
Mentes quibus conferre dignetur Deus  
Sapientiores gratia in sua Pater,  
Et in benignitate sancti Spiritus,  
Per Filij dignationem & gloriam.

Parum sed est: à Christiano dogmate,  
Et orthodoxia uniuersa Ecclesia,  
Se cuius esse filium iactat pium,  
Staphylus oberrans quod uagatur semita  
Transuersus omni, perduellis gloria  
Hominis Dei, lesiq; numinis reus,  
Et Trinitatis sector euidentis sacra:  
Nisi rideat, diuersa si qui sentiunt.  
Hominisq; Filij tuentur gloriam,  
Nasutus sanna prophetas nominans.  
Risu cachinnet ille, sed Sardonio,  
Suo malo, periculog; maximo:  
Nisi benigni gratiam impetret Dei,  
Veram suis agendo pœnitentiam,  
Factis scriptisq; factiosis debitam:

Preces pro eis  
qui hominem  
Christi crea-  
turam esse di-  
cunt.

Vt corporis

*Vt corporis Christi capax sit gloria  
Fidelibus cum Christianis omnibus.*

Phil. 3. *Ad quam, licet sint oppidoquam uilia;*  
 Dificatio *Formabit ipse nostra Christus corpora,*  
 Christiani. *Facietq; sanctum quemq; mortalem, deum,*  
*Qua cuncta subycit sibi potentia.*

Si quis sanctus est, deus efficitur. Hieronymus  
 Psalm. 115.

Adoratio *Sancti & uetusti gloriam Verbo suam*  
 carnis Christi. *Incorporando contulere unanimes*  
 Psal. 96. *Præconijs patres, propheta & inelyti:*  
 Hebr. 1. *Cunctis adorandam cæmentes angelis,*  
 Hier. 23. *Nomenq; dantes illi inenarrabile*  
 33. *Tetragrammaton: quod omnibus in gentibus*  
 Malach. 1. *Per gloriam deprædicatur maximam.*  
*Ad quod tremunt & cælites & inferi;*  
*Et poplites flectit genus mortalium:*  
 Nomen super *Nomen quod est super omne nomen, gloria*  
 omne nomen. *Proprium Dei, soli q; congruens Deo,*  
 Phil. 7. *Illam quibus plerumq; cernere est datum*  
 Ioan. 12. *In uisionibus suis sanctissimis.*

Quod est nomen, quod in gentibus glorificatur,  
 quàm quod est Domini, per quem glorificatur Pater,  
 & glorificatur homo? Et quoniam proprij Filij eius  
 est, & ab eo factus est homo, suum illud uocat. Quem  
 admodum si quis rex filij sui pingat imaginem, iustè  
 illum suam dicat imaginem, secundum utrunq;: quo-  
 niam & filij eius sit, & quòd ipse fecerit eam. Irenæus  
 lib. 4. cap. 33.

Christus

Christus secundum hominem est Dominus cœlestium, terrestrium & inferorum. August.

Nomen super omne nomen, Dei nomen est. Ambrosius.

*ἡ προσωνομασία*, hoc est inhumanatio seu corporatio, ex Maria accepit nomen, quod est super omne nomen, ut cū Verbo Deo uocetur filius Dei. Epiphanius, contra Arioman.

*Nunquam suis quod prodidissent litteris  
Sacri per inspirationem Spiritus,  
Si gloriosam credidissent illius  
Carnem creaturæ inferendam in ordinem,  
Cultu carentis & omni honore Numinis.*

*Dominum Deum tuum coles, & seruias  
Vni atq; soli, dicit ipsa Veritas.  
Ipsi sibi qua uoce diuinum decus  
Omne abrogasset ipse Filius hominis.  
Si se creaturæ uocari nomine  
Vellet, creaturæ ue haberi in ordine.*

*Christum Deum Scriptura nouit integrum,  
Sanctiq; patres Spiritu afflato Dei  
Nouere Christum nunc Deum per omnia.*

Matth. 4.  
Deut. 6. 104

Christus  
Deus per omnia.

Creatura non est adorabilis. (*οὐ λατρευτὴν ἔστιν ἡ κτίσις.*)  
Epiph.

Resurrexit homo, quoniam homo mortuus: & resuscitatus homo, sed resuscitans Deus. Tunc, secundum carnem, homo: nunc per omnia Deus. Ambr.

*Hominē etenim Verbū quod assumpsit suum,  
Id dicitur totum Deus, propter Deum:*

*l Hominemq;*

*Hominemq; propter, dicitur pariter homo.*

Quia forma Dei accepit formam serui, utramque Deus, utrumq; homo. Atq; hoc totum, & Deus dicitur, propter Deum: & Homo, propter hominē. Idem de myster. in carn. Dominic. lib. 4. cap. 21.

Christus ex Deo Deus, hoc totum est ipse quod Deus est. Non potest aliud quid diuersum Christus esse, quàm Deus est. Hil. lib. 8. de Trinit.

*Christi œconomia.* *Cœtus sacri fides scit in Christo suam œconomiam, diuisionem reprobat.*

Ecclesiæ fides scit in Christo dispensationem, sed nescit diuisionem. Idem lib. 10. ibidem.

*Verbi & Hominis conuio.* *Homo namq; Verbo ad unitatem mixtus est, Quod in seipso hominem & Deum coniunt, Epiphaniÿ uerbis ut utar Cyprÿ.*

Miscente in seipso hominem & Deum. Tertull. lib. 2. aduers. Marcion.

In idem impleuit perfectam resurrectionem in diuinitate sua, in eadem anima, in eodem sancto corpore: coniungens deinceps dispensationem omnem in unam unionem Deitatis, in unam dispensationem, in unam perfectionem.

Coniungens carnem suam in unam deitatem.

Coniunctum simul est in unam ipsius Deitatem carnale. Epiphani. contr. Ariomanit.

Caro in cœlestem habitum commutata. August. Psal. 109. Dei Verbo ad unitatem commixtus est homo. Idem.

*Glorificatio Christi.* *Salua tamen carni manente essentia, Hieronymus quod addidit piÿssimus,*

*Melioris*

*Melioris auctu qualitatis splendide,  
 Deitatis ipsius per amplitudinem,  
 Sancta resurrectionis & stolam,  
 Per perpetuis perennitatis secula,  
 Et per coronam honoris atq; gloriæ,  
 Et unctiōnem balsami letissimam,  
 Illum Pater qua unxit suis præfratribus.*

Psal. 8. 44.

Hæc est uera resurrectionis confessio, quæ sic gloriam carni tribuit, ut non auferat ueritatem. Hieron. Homo Christus est in natura & gloria deitatis. Idem in Iob. cap. 14. Cauendum est, ne ita diuinitatem astruamus, ut ueritatem corporis auferamus: cui immortalsitatem dedit, naturam non abstulit. August. epist. 57.

Quod proficit utiq; mutatur in melius. Ambros.

μὴ μετατρέσθης

Hæc Euangelici sacramenti & humanæ spei ueritas est, humanam naturam corruptibilemq; carnem per huius gloriæ demutationem in æternam transmutatam esse substantiam. Hilar. Psal. 143.

*Verbum Deus namq; ante tempus & hominē, Verbum Deus;  
 Patris Dei atq; hominis parentis Filius,  
 Sed Virginis, suo, parentis, tempore  
 Homo Deus, gemina unus atq; idem simul Deus hominē.  
 (Hoc denuò nihil uetat nunc dicere)  
 Substantiæ, carnis suæ prouincia  
 Obiit, fidelium salutis gratia,  
 Rediit in sepulchro & ipsis inferis  
 Reuersus in cælum, Deo dexter Patri  
 Adest, honore par, nec impar gloria:  
 Sic ergo post hominem & Deum, per gloriam,*

! 2

Nunc totus

Totus Deus, Idemo. *Nunc totus est homo, Deus totus simul.  
Hoc namq. dispensationis est caput,  
Hæc summa sacratissimi mysterij,  
Sic genera dirimens & ipsa tempora,  
Et aliud atq. aliud fide considerans,  
Christum unicum tamen ut ubiq. intelligas.*

Idem ipse Deus, idem ipse homo, non confusione efficiens, sed duo in unum contemperans. (*νεῖσθαι.*)  
Epiph. in Ancor.

Stephanus sanctus Dei martyr cum lapidaretur: Ecce, inquit, uideo cælum apertum, & Filium hominis stantem à dextris Patris. ut ostenderet, corpus ipsum in ueritate, in spirituale unitum, & in deitatem cõunitum. Sursum uerò ipsum sanctum corpus cum diuinitate totus est Deus, unus Filius sanctus Dei, sedens ad dexteram Patris. Id. Epiph. contr. Apellian.

Tempori coaptato, quæ de Christo dicta sunt, ut cum aliud sit ante hominem Deus, aliud sit homo & Deus (*discipulus*) aliud sit post hominem & Deum, totus homo, totus Deus, nõ confundas temporibus & generibus dispensationis sacramentum. Hilar. de Trinit. lib. 9.

Idem Christus	ante incarnationē	}	Filius	}	Dei	}	Dicitur per ver.
	post incarnationē diebus carnis suæ,	}	Filius	}	Deus. Homo.	}	Totus
à gloriosa resurrectione,							

Monica

Monica illius pie beatus filius,  
 Non audiendos esse decernens viros,  
 Inter creaturas Dei qui collocant,  
 Ob passionem, carne qua defunctus est,  
 Gnatum, dehinc sensum refert huiusmodi:  
 Aliud creaturam esse (vanitudinis  
 Quae seruituti semper est obnoxia)  
 Et aliud assumere creaturam. (minus  
 Verò creati uel creantis in modum,  
 Ac neuiquam prorsus creaturaliter.  
 Graeci quod ἀντίσωσ, loquuntur rectius)  
 Conceptione nam supermirabili,  
 Dauidico de uentre Virginis pie,  
 Sermo Dei assumpsit sacram carnem sibi:  
 Ut nemo dixerit creatam proprie,  
 Prout Christiana dicat & ratio & fides.  
 Sin admodum uerbum creaturae urgeas  
 In hoc loco, de uoce non certabimus,  
 (Christi ut modò res gloria deseruiat)  
 Contra Arianos, qua usus est doctòr pius  
 Quadam necessitate ductus, impios:  
 Sed ipsius laudabimus sententiam,  
 Patrocinantem Christianae gloriae,  
 Litemq; nostram dirimentem, nam docet  
 In melius esse corporis substantiam  
 Auctam, per excitationem à mortuis:  
 In gloriosam scilicet carnem Dei,  
 Adeoq; iam per omnia (ut dixi) Deum.  
 Qui disputationis est nostra scopus.

Rom. 8.  
 Psal. 118.  
 Creaturas  
 esse, assume-  
 re.

Conceptio  
 Christi diuini.  
 na.  
 Psal. 139.

Scopus praesentis Disputationis.

Omnis creatura seruit, dicente Propheta: Quia u-  
niuersa seruiunt tibi. Ambros. epist. 47.

Omnis creatura serua est. Cyrillus.

Omnis gloria carni acquirebatur. Hilarius.

Propterea quòd unigenitus carnem & sanguinem  
participauit, humanæ perfections (τὰ ἀνθρώπινα αὐτοῦ)  
de ipso & corporato eius aduentu, perceptiuæ gloriæ  
canuntur & prædicantur. sed non extra perfectam  
& gloriosam eius deitatem, quæ nihil opus habuit  
percipere gloriam: quippe quæ per seipsam in se ha-  
beat gloriam suam, & per seipsam perfectionem su-  
am. (τὸ αὐτὸς ἀδελφωμένον καὶ αὐτοτέλειαν.) Epiphanius con-  
tra Arianos.

Nec eos audiamus (inquit August. de agone Chri-  
stian. cap. 10.) qui propterea uolunt cogere ut inter  
creaturas Filium Dei numeremus, quia passus est. A-  
liud est esse creaturam, & aliud suscipere creaturam.  
Filius unigenitus, uirtus, sapientia, & uerbum Dei,  
per quod facta sunt omnia, suscepit humanam creatu-  
ram, quam lapsam erigere atq; inueteratam renouare  
dignatus est: nec in ea per passionem ipse in deterius  
commutatus est, sed eam potius per resurrectionem  
in melius commutauit.

Crede, agnosce Christum in carne uenisse, acce-  
pisse quod non erat, non amisisse quod erat: hominẽ  
in se mutasse, non in hominem fuisse mutatum. Idem  
de uerb. Apost. serm. 30.

*Postquam Deus semel creauit omnia,*  
*Testantur ut Mosa sacrata littera,*

Gen. 1. *Bene admodum, suoq; quodlibet ordine,*

*Omni creatione destitit sua:*

*Exinde per Verbum gubernans omnia.*

Hebr. 1. *Et uniuersa per quod ille condidit,*

*Sed corpora*

*Sed corporatum iam diebus ultimis .*

IOAN. 2.

*Post principem uero creaturam editam .  
 Greci ἰσάγγελω quam uocant uerbo unico .  
 Dehinc creaturam creatura excipit .  
 Generationis per uicissitudinem .  
 Cuiusq; fert ut seminarium rei .  
 Naturaq; ipsa , & cura Providentia .*

*Crescite &  
 multiplicamini .*

Gen. 9.

*At legibus non hisce natura caro  
 Est factus hoc in orbe Filius Dei ,  
 Deo satus parente , matre Virgine ,  
 Natiuitate prodita è cælestibus  
 Per ipsius gnati patrisq; Spiritum .  
 Ausimq; iam cum uate sacro nouam  
 Creationem , uerbo abutens , dicere  
 Natura queuis , & creata qualibet .  
 In omnibus quam nescièrè seculis :  
 Proinde uati dicitur signum alteri .*

HIER. 31.

*Nona creatio  
 Christi .*

Esa. 7.

*Creauit Dominus nouum super terram : Femina  
 circumdabit uirum . Notabiliter natiuitas Salua-  
 toris atq; conceptus Dei noua creatio nuncupatur ,  
 eo quòd perfectus uir in uentre femineo solitis men-  
 sibus continebatur . Hieron.*

SIGNUM.

*Nostram ille de sancta recepit Virgine .  
 ( Quam gratia lustrauerat sua sibi  
 Deus pater per Spiritum sanctum suum , )  
 Non noxialis criminis substantiam .  
 Contagioso nec satam de raduce  
 Peccati originarij substantiam .*

*Maria uirgo  
 sanctificata .*

*Christus secundum omnia , præter peccatum , fit*

homo, ex Virgine prognatus, carne simul & anima purificata. Oportuit enim & natiuitatem honorari, & uirginitatem præhonorari. Greg. Theol. in homil. Paschal.

Virgo carnem Christi non peperit de peccati propagine. August. tract. 79. in Ioan.

Sed tamen naturam de uirgine ex traduce nostra infirma in se habuit. Athanas.

Heb. 9. *Non huius est, Christi creatura, caro, Paulus quemadmodum euidenter prodidit.*

*Peccantis instar hominis ille homo editus,*

*Sed absq; peccato omni homo sanctissimus,*

*Natiuitate par alijs mortalibus,*

Conceptio &  
natiuitas

Christi.

Luc. 1.

*Conceptione ipsa sed impar omnibus:*

*Quæ Trinitatis est opus ter unica,*

In similitudine hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Phil. 2. Deus filium suum misit in similitudine carnis peccati. Rom. 8.

Caro Christi non harum creaturarum in modum edita, sed spiritualem & diuinum. Theophylactus.

Hic partus Deus est nobiscum. Irenæus.

Christus nostræ substantiæ est, salua tamen incarnationis suæ gloria. Ambros. de Fide lib. 2.

Christus est supra hominem, cum ab humanæ legis natiuitate distet. Idem Rom. 1.

Omnia in similitudine hominum habuit incarnatio Domini; sed similitudo erat cum differentia. Natus est ex Virgine, similitudine generationis, dissimilitudine conceptionis. Idem super Luc.

In naturæ humanæ susceptione gratia quodam modo illi homini naturalis facta est, quæ nullum peccatum posset admittere. August.

Concep-

Conceptum Virginis spiritus, non caro: fides, nō libido præuenit. Credendo, non concumbendo, fœcundata est uirginitas. Idem de Trinitat. lib. 13. cap. 18.

Deus est in carne: & quæ huius dispensationis officina est: Virginis corpus. Quæ autem generationis principia: Spiritus sanctus, & uirtus Altissimi obumbrans. Basilius in homil. de natiuit. Domin.

Quod enim natum est in ea, ex Spiritu sancto est. Vnde manifestum est, non secundum cōmunem carnis naturam, constitutionem Domini extitisse. Statim namq; perfectum id carne fuit, quod in utero gestabatur: non ea quæ paulatim fit, fictione conformatum. quemadmodum uerba declarant. Non enim dictum, id quod creatum est, (τι κτισμένον) sed id quod natum est, (τι γγεννημένον.) Ex sanctificatione igitur coagmentata caro, digna erat quæ deitati unigeniti uniretur. Idem ibidem.

Deus Verbum cœlitus descēdit, & in utero Virginis incarnatum, & perfectè homo factum est, ut non discerneret incarnatam perfectionem à diuina perfectione. Quapropter additum: Et ideo quod natum est sanctum, uocabitur Filius Dei. Epiphano. contr. Ariomanit.

*Generationem istam propheta maximus,  
Euangelistam quem uocant quamplurimi,  
In spiritu uisam esse inenarrabilem,  
Stupore in ecstasi pio professus est.*

Natiuitatem siue generationem eius quis enarrabit? Esa. 53. Hæc uerba S. Iustinus Martyr, & Lactan. alijq; ueteres patres de carnatione quoq; uerbi acceperunt: & ipse etiam diuus Hieronymus.

*Natiuitatis istius mysterium  
Sancti fide norunt magis, quàm edisserunt.*

Partus Virginis difficulter potest exponi: & mysterium diuinæ natiuitatis in corpore, sancti magis fide nosse quàm dicere possunt. Hieron. Esa. 53.

*Hic in timore iudicet Dei pium*

*Pectus, creaturam queátne dicere,  
Sic editum supra creatura modum,  
Dominum creatura omnis in cælo atq; humo,  
Unigenitum gnatum parentis unici,  
Alissimi prolem Dei sanctissimam,  
Sanctissime genitrice natam Virgine,  
Hominem Deum. de carne cuius unica  
Genus hominum omne sanctitatem percipit,  
IESVM esse consitentium Christum Dei,  
Per conditorem restitutum in integrum.*

*Per carnem  
Christi san-  
ctificatur om-  
nis caro fide-  
lium.*

Oportebat enim eum qui uerus esset artifex, ad instar figuli curam proprij, quod suis ipse finxit manibus, figmenti, & uasis gerentem, id ipsum postea per inobedientiam in diminutionem delapsum, & quod (ut ita dicam) adhuc lutum esset, & tanquam scissura rimaq; ducta effluens uas, non ita in eo statu relinquere: sed in ueterem pristinaq; redigere massam, ut rursus uas huiusmodi per regenerationem (præsentem & futuram in Christo) repararet, restituatq; in resurrectione in pristinam claritatem, atq; etiam in præstabilius quidquam: hoc est, corpora eorum qui iniquissima patrarunt, & per penitentiam resipuerunt, & à lapsibus suis defecerunt, & in cognitione Domini nostri Iesu Christi ad perfectionem peruenerunt, ut massæ reintegrationis seu resurrectionis terra fiat, & si-

*Restitutio ge-  
neris humani  
in integrum.*

euti massa ab artifice subacta & emollita, & denuò ad  
priscam, atq; etiam multo præstantiorem reducatur  
conformationem. Epiph. contr. Ophit.

— Post partum Virginis, ex quo

Corporis humani naturam prisca propago  
Deferuit, carnemq; nouam uis ardua seuit,  
Atq; inupta Deum concepit femina Christum,  
Mortali de matre hominem, sed cum Patre Numen:  
Inde omnis iam diua caro est, quæ concepit illum,  
Naturamq; Dei consorti fœdere sumit.  
Verbum quippe caro factum, non destitit esse  
Quod fuerat uerbum, carnis dum glutinat usum:  
Maiestate quidem non degenerante per usum  
Carnis, sed miseros ad nobiliora trahente.  
Ille manet, quod semper erat: quod non erat, esse  
Incipiens. nos quod fuimus, iam non sumus: aucti  
Nascendo in melius. mihi contulit, & sibi mansit:  
Nec Deus ex nostris minuit sua, sed sua nostris  
Dum tribuit, nosmet dona ad cœlestia uexit,  
Prudentius in Psychomach.

*Sic ipse nostra Christus est substantia,  
Natura nostra, nostra sic & est caro,  
ἐμοῦσσι & nobis. Patrum quod concia  
Synodusq; sancta ritè dixit & ordinè,  
Theodosio minori: itemq; & altera,  
Frequens coacta Martiano principi.  
Nostris tamen non orta moribus caro,  
Nec legibus nostris creaturalibus  
(Vt sic modò signantius paulò loquar)  
Partu nouo creata Virgini caro:  
Famem illa sensit, sensit & sitim, simul  
Experta ceteros labores pertulit,*

*Caro Christi  
nobis consub-  
stantialis.*

*Et passiones.*

*Et passiones, unde crimen prouenit:  
Expers sed omnis illa criminis fuit.  
Per gratiam peccare non idonea.*

Ανδρῶν τῶν κατὰ τὴν φύσιν νόμοι  
Σίμωνις ἐν ἀπαρχῆσι τοῦ ἀπὸ προγαμίου γυναικῶς  
Σαρκευθῆς.—

—Hominum sub lege creatus (carnatus.)

Non hominum de more tamen caro matris in aluo  
Virginis intactæ. Greg. Theologus.

Non melius hæc uerba carmine uertere potui, ut  
uersus confisteret. Sensus autem est: Dominum in Vir-  
ginis uisceribus incarnatum esse, humanis & non hu-  
manis legibus. Id quod eo propè modo est dictum,  
quo modo Epiphanius aduersus Semiarianos de  
Verbo incarnato scripsit: In similitudine hominum  
factus, & homo erat, & non per omnia homo. Homo  
uidelicet, eo quod carnem susceperit humanam: quan-  
doquidem uerbum caro factum est. non homo autem  
erat, quoniam non perinde atque homines progenitus  
est: non enim ex semine & concubitu, &c.

Item Hil. lib. 10. de Trinit. Non fuit habitus ille ta-  
men hominis, sed ut hominis: neque caro illa peccati,  
sed in similitudine carnis peccati.

—Quem femina prægnans

Enixa est sub lege uteri, sine lege mariti. Prudentius.

Mortalem perstrinxit Spiritus aluum,

Spiritus ille Dei, Deus &, se corpore matris

Induit, atque hominem de uirginitate creauit. Idem.

Satis patet, Dominum naturales affectiones susce-  
pisse, ad confirmationem ueræ, & non imaginariæ in  
humanationis: uitiosas autem perpeffiones, quæ purita-  
tem uitæ nostræ inquinant, tanquam immaculata  
Deitate indignas reieisse. Basil. ad Sozopolit.

Quapro-

Quapropter etiam *ἀνεκτίμητος*, id est impeccabilis, Christus homo fuit. Sustinuit famem, sitim & somnū in carne, ut idem dicit Epiphanius: à quibus peccabilibus perpeſſionibus corpora mouentur. Sed minime ex eis peccabiliter (*ἀμαρτανικῶς*) commotus est. Christus natus, non creatus. Hieronymus.

*Proin creaturam ut uoces Christum caue,*  
*Vt sancta cauit concio, quam diximus,*  
*Christi fidelis esse qui cupis bonus.*  
*Nec te Staphyli moueat acumen callidi,*  
*Absurditate qui sibi sumpta graui*  
*Plura insuper deinde confert absona,*  
*Inductione raptus à Socratica,*  
*Adusq; Patris ipsius blasphemiam,*  
*Ludum miser rebus sacris ludens malum.*  
*Director ille tertia Synodi sacer,*  
*Theodosius quam iunior coegerat,*  
*Idem Cyrillus, quod patres isti pij*  
*Dixere, dixit: quòd Dei uerbum caro*  
*Homoq;, sicut nos sumus, factum siet.*

Ipsius Dei Verbum caro, & sicut nos sumus, homo factum. Cyrill. in 12. cap. Niceph. lib. 14. cap. 33.

*An ergo sanctam & ipse Filij Dei*  
*Carnem, creaturam sua sententia*  
*Decreuit esse? Nil minus, mihi credito.*  
*Vix alter isto patre scripsit acrius*  
*In gloriosa carnis hostes Dominica,*  
*Diuinitatis hanc mouentes ordine.*  
*Aliter creaturarum habet ratio, aliter*  
*Arcana uirtutis Dei potentia.*

Cyrillus  
 Alexandrinus  
 gloriæ Christi  
 assertor.

*Cui nostra*

*Cui nostra nullo conferenda sunt modo.*

Alia creaturarū est ratio, alia secretorū potētia diuinorū. Ambros. Nō sunt Deo cōparāda nostra. Tertull.

Dominum potentiozem credamus omni corporum lege. Idem.

*Verbis super factisq; mysticis Dei  
Argutis & sensibus mortalibus  
Ratiocinari, sacrilegum esse deputa.*

De uerbis Dei humano sensu argumentari, sacrilegum est. Hieron. Hierem. 31.

*Nec est, creatura ut creetur ipsemet  
Rerum Dei gnatus, Creator omnium,  
Sui ipse fictor increatè corporis,  
Per quem uidelicet uniuersa condita.*

*Num quid creaturam creatura adiuuet,  
Et ad salutem num quid illa conferat,  
Verbiq; carnis absolutam gloriam,  
Diuinitatis & decus plenissima?*

Quomodo possibile est, quod creatur, ut creet? aut quomodo, qui creat, creatur? Corpus sibi ex Virgine finxit, ut diuinitatis suæ haud exiguum omnibus præberet indicium. Qui enim id sibi mirabiliter finxit, ipse aliorum quoq; conditor est. Athan. ad episc. Aphric. & de Incarn. uerb.

Quid creatura adiuuet? aut quem usum afferat ad salutem nostram? & ad Dei uerbi incarnatam glorificationem, & perfectam deitatem? (*περὸς τὸ τῷ θεῷ λόγῳ ἑνωμένῳ δεξιολογίαν, καὶ τίνεσαν βέλτετα.*) Quid prodest nobis Christum creaturam dicere? Quid creatura creaturis efficit? Epiphan. contr. Arian.

*(Tremunt uidentes angeli uersam uicem*

*Morta*

DEFENSIO I.

275

*Caro Christi  
regnatricis di-  
uina & nobis  
fica.*

*Colof. 2.*

*Mortalium, culpam caro, purgat caro;  
Regnat Deus Dei caro) sanctissima  
Agnosce matris cantilenam Ecclesie,  
Pietatem ut illius sequutus sis sciens,  
Regnare carnem, non Creaturam Dei  
Verbi patris, plenam paternam gloriæ,  
Diuinitas quam corporaliter incolit.*

Si quis non confitetur carnem Domini uiuifica-  
tricem esse, & propriam ipsius uerbi Dei patris, ana-  
thema sit. Decretum Synodi Ephes. Niceph. li. 14. ca. 33.

Caro & sanguis (uerbi corporati) faciunt nobis  
uitam. Irenæus, Tertull. Hilarius.

Christum Iesum non aliud quam Deum, in diuini-  
tatis plenitudine confitendum. Hil. lib. 1. de Trinit.

Christus in naturæ paternæ gloriæ post dispensa-  
tionem assumitur. Idem lib. 9.

*Ambrosia qua est, aternitatis pabulum:  
Habens suum nectar cruoris, poculum  
Perennitatis, conferens epulonibus  
Vitam perennantis beatam seculi.*

*Alimonia  
corporis &  
sanguinis  
Christi.*

*Nam uisceratione sacratissima  
Quouis die, quando suis mysterijs  
Sanctas dapes & Christi uina pocula  
Libamus, ad uitam perennem pascimur:  
Et particeps diuinitatis redditur  
Christi ipsius, conuiuia si quis sit modò  
Gustare corpus sanguinemq; idoneus  
Domini, futura pignus & spem gloriæ:  
Conuiuia sanctus, & renatus cælitus,  
Fide probatus, & probatus moribus.*

*Probatio  
Paulina.  
Ioan. 3.  
1, Cor. 10.*

*Gratias*

Gratias tibi Deus omnipotens ago, pro sacratissima illa effusione preciosi sanguinis Filij tui, quo sumus redempti: simul & pro sacrosancto & uiuifico mysterio corporis & sanguinis eius, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, & unius summæ diuinitatis participes effici mur. Augst. lib. Medit. cap. 15.

Quapropter Græci sacram Eucharistiam, Deificam gratias uocant mysteriorum, (θεϊκῆν χάριτα μυστηρίων) uocant diuinam communionem: (διείσθαι κεινοῦ σώματος) dicunt Deificantem, (θεϊκῶν.) Damascenus deificum (θεϊκῶν) sanguinem.

In perceptione mysteriorum ipsorum, uersiculis huiusmodi utuntur: Corpus Dei me nutrit atq; Deificat. nam spiritum deitat nouè, mentem fouet. (ὅτι τὸ σῶμα καὶ θεὸς ἐστίν ἐμε, καὶ τρεῖς αἶμα, διὸ τὸ πνεῦμα, τὸν ἕνα τρεῖς ἐξαρτῶν.)

Porrò alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia: quod nulli alij participare licitum est, quàm ueram esse doctrinam nostram credenti, & lauacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita ut Christus tradidit uiuenti. S. Iustinus.

*Et uniuersa Christiani nominis  
Verum Deum Christum colens Ecclesia,  
Cum Patre in unitate adorat Spiritus,  
In omnibus suis precationibus.*

*Solū hunc & unū Dominū: & hūc Altissimū,  
Cum Spiritu sancto, canens in gloria  
Dei Patris, concentibus perennibus,  
In orbe toto ad astra fert mater pia.*

Vno consensu glorificamus Dominum nostrum  
Iesum Christum, unigenitum Filium & Verbū Dei,  
ante

ante secula de Patre natum, & in ultimis diebus incarnatum ex Spiritu sancto, & sancta Virgine & Dei genitrice natum, & hominem factum & crucifixum, unum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis, & adorandum & conglorificandum Patri & sancto Spiritui. Nec enim alium Deum Verbum, & alium Christum cognoscimus: sed unum atque eundem ipsum consubstantialem Patri diuinitate, & consubstantialem nobis eundem ipsum humanitate, propriè & uerè Deum. Quocirca & gloriosam uirginem Mariam propriè & uerè Dei matrem esse dicimus: l. 3. C. de sum. Trinit.

Confitemur, unum ex Trinitate increata atq; ineffabili Deum Verbum factum hominem: carne, quâ pro nobis assumpsit, ex nobis, passum: non Deitate. Unus ex Trinitate crucifixus est carne. Proclus Constantinopolitanus ad Occidentales.

Solus unigenitus adueniens carnè induit, in qua & resurrexit: quam etiam cœuniuit deitati, in Spiritum coaduniens: & in gloria collocauit, in dextera Patris. Epiph. contra Audian.

*Et Filium colens, Patrem colit simul:*

Ioan. 5.

*Nec Patrem honorat, non honorans Filium.*

*Inseparabilis modis & omnibus*

*Ab honore Dei, Christi ipsius planè est honor.*

Inseparabilis est à Dei honore, honor Christi. Hilar. de Trinit. lib. 9.

*Tibi ergo si detur, quod asseris, hominem*

*Christum creaturam esse: uel negaueris*

*Esse inuocandum, maximo periculo,*

*Quem spiritus omnes adorant flammei:*

in

Vel

*Vel inuocandum dixeris, contra Dei  
Legis caput primarium sanctissima,  
Non hac nec illa parte blasphemus minus.*

*CREATURA in  
adorabilis. Nemo creatura inuocat nomen pius:  
Soli Creatori hunc honorem habens Deo.*

*ὁ ἕως ἄρτι ὁ ἱός, ὁ ἀπαρνητός: Si creatus seu creabilis  
est Filius, adorandus seu adorabilis non est. Stultum  
enim est creaturas adorare, & abrogare primum præ  
ceptum, quod promulgat: Audi Israel, Dominus  
Deus tuus, Dominus unus est, &c. Itaq; non creatū  
est sanctum Verbum, quoniā adorabile, ὅτι ἀπαρνητός.  
Adorarunt id discipuli: adorant angeli in cœlo: &  
Adorent eum omnes angeli Dei. & Adoret te Domi  
ne uirtus mea. Epiphan. in Ancorat.*

*Sancta Dei Ecclesia non creaturam adorat, sed Fi  
lium genitum: Patrem in Filio, Filium in Patre, cum  
sancto Spiritu. Idem contr. Arian.*

*Christū crea-  
turam dice-  
tes sacrilegi  
sunt. Sed foris restat, inuocare te ut modo  
Similes Dei gnatum, salutis unicam  
Christi fidelium spem, & ancoram sacram.  
Hic tu accipe. Ambrosius episcopus pius  
Et eruditus quam ferat sententiam  
Aduersus hostes Christiana gloria.  
Vel quem creaturam uocant, iam desinant  
Coluisse: uel coluisse quem a simulant probè,  
Cessent creaturam uocare: perfidi  
Cultus sub appellatione, ne impiè  
Grauiora uerdes parent sacrilegia.*

*Aut desinant colere, quem creaturam appellant  
aut desinant, quem colere se simulant, dicere crea-  
turam,*

tutam, ne sub appellatione cultorum sacrilegia gra-  
uora committant. Ambros. de fide lib. 1. cap. 7.

*Tanguntur ossa, tangitur sensu caro,  
Sed spiritus non tangitur digitis leuis.  
Christum manu quem prenderat Thomas sua,  
Doctus fidem certam per experientiam:  
À mortuis surrectionis colligens  
Virtute totius sacramenti statum,  
Pleno ore cunctis detonat fidelibus,  
Illum & suum fatetur & Dominum & Deum.*

Christus &  
Dominus, &  
Deus.

IOAN. 20.

Thomas totius sacramenti fidem per uirtutem re-  
surrectionis intelligens, Deum confitetur Dei Filium.  
Hilar. lib. 2. de Trinit.

Christus in  
Scripturis nõ  
dicitur crea-  
tura.

*Ait Cyrillus, literis nusquam sacris  
Christum creaturam uocari, sed Deum.  
Contra Cyrillum aut tu doce contrarium,  
Aut impia decede de sententia.*

Christus ubiq; Deus, & non creatura, nominatur  
à Scripturis. Cyrill. in thesaur. lib. 12. cap. 2.

*De Cyprio hoc etiam potest Epiphanius,  
Christum astruente non creatum esse à Patre,  
Sed nec parente ipsa creatum è Virgine,  
Diuinitus miro sed editum modo,  
Corpus sibi sumente Filio Dei,  
Cum ueritate dici ineluctabili.*

*Complura uirginum fuere millia,  
Quo Messias est corporatus tempore:  
Maria sed una uirgo lecta ex omnibus,  
Quamnis uiri atq; femina amplexu sata,*

*De corporis scena sui mundissima*

*Corpus Christi,*  
*Si, templum*  
*Dei.*  
*Templum Dei gnato sacrosanctissimum,*  
*Carnisq; sanguinisq; puri prebuit*  
*Ritu colendum cum Dei Verbo pari.*

Ariani Christum Filium Dei non natura, sed electione esse dixerunt. Aduersus hos electionis uerbo in amphibologiam uocato, sic agit Epiphanius in Ancorato:

Alij filij (Dei) sunt secundum gratiam: ille (Christus) unigenitus, & natura Filius. Et manifestum est, unde is electus, & unde electio. Nam multæ myriades erant (uirginum) in terra: sed Maria sola inuenit gratiam, & in ipsa elegit sanctam carnem. Bene placitum est Patri, incorporata Christi præsentia. Matth. 3. 17. 2. Petri. 1.

*Res unica est, quam nemo confutauerit:*  
*Nobis uetuste sunt nouaq; litera,*  
*Quas exaratas credimus diuinitus.*  
*Afflante mentes Spiritu sacro pias*  
*Tum Apostolorum, tum Prophetarum chori.*

*Christus filius*  
*Lucæ uerba*  
*ius.*  
*In his ad usq; finem ab ipso exordio,*  
*Ad Filium quandoq; proloquitur Pater,*  
*Quandoq; compellat parentem Filius.*  
*Quod si uel alterum modò probaueris,*  
*Quòd hic uel ille tale quidquam dixerit,*  
*Charum creauit me sibi gnatum pater,*  
*Ego te creauit Filium charum mihi.*  
*Sic illico quòd asseris confeceris.*

Vna res est euidens & compendiosa, cui neq; opponi neq; contradici quidquam ab aliquo potest, si testimo-

testimonium Filij Dei aduersarij ostendere habent, ubi Pater dixerit in ueteri & nouo Testamento, Creauit mihi Filium: aut ubi Filius loquutus sit, Creauit me Pater. A primordio usq; ad finem loquutus est Filius, & ad ipsum Pater: & neutiquam dixit, Creauit me Pater: neq; Pater, Creauit mihi Filium: aut Creauit filium meum. Idem ibidem.

*Idem scribit  
contra Orige  
nist.*

*Itaq; satis liquet, Dei gnatum unicum  
Unà esse adorandum sacro cum corpore.*

Sed dixerit contentiosus, & gloriæ affectator: Quid de corpore ais? De Maria uidelicet assumptum esse, Maria uerò quid, inquit, increatâ ne an creatâ? Creatâ & nos dicimus, è uiro & femina genitam.

Verùm id quod de Maria est, quid perhibes? Vtrū adorabis Saluatorem in corpore, an non adorabis? Quid nî adorem? Si enim non adorauero, uitam non habuero. Ergo creaturam adoras, corpus ipsum? Ingens est uecordia eorum qui talia dicunt, &c. Nemo dixerit unigenito, Dimitte corpus ut te adorem: sed adorat unà cum corpore unigenitum, increatum seu increabilem cum templo sancto, quod adueniens accepit. Itaq; Christus adoratur cum eo corpore quod sepultū est, & excitatum, &c. Idem ibidem.

*Thomas Aquinas compati secum negat,  
Simul creaturam esse, & esse Deum simul:  
Docens creaturam, secundum quod caro est,  
Non esse Christum. —*

*Humanitas  
Christi nõ est  
creatura.*

Esse creaturam, non compatitur secum quod est esse Deum: Ergo Christus non est creatura, secundum quod homo. in 3. Sentent. Dist. II.

— *Dogma quin quod asseris,*

*m 3*

*Id te*

*Id te magister ipse non docuit tuus,  
 Hec cuius est memorabilis sententia,  
 Per syllogismum si quis hoc dicat modo:  
 Quodcumq; homo sit, id creaturam quoq;  
 Simul esse: Christum ipsum sed esse hominē: Proin  
 Christum creaturam esse, apud philosophiam  
 Ratiocinatione recta colligi,  
 Sed non habere illam locum in Theologia.  
 (Huic illa iure cedit in domo Dei:  
 Ancilla Sara cedit Agar libera,  
 Sponse ministra, uirgini pedisequa,  
 Cliens patronæ, concubina coniugi.)  
 Quidquid factum est caro, factum est creatura:  
 Filius Dei factus est caro:  
 Ergo Filius Dei factus est creatura.  
 Bonus syllogismus in philosophia, tamen non de-  
 bet tolerari in Ecclesia Dei.*

*Testatur idem, non creaturam, Deum  
 Sed esse Christum: conditoris & Dei  
 Quod, non creatura actiones exhibet:  
 Noxas remittens, Spiritum donans suis  
 Sanctum, & quietem conscientijs pijs,  
 Fidelibusq;, gratia charismata,  
 Prestare natura Deus quæ unus potest,  
 Dei ipsius uidelicet regalia.*

*Regalia &  
 Pontificalia  
 Christi diuina.*

*Peccata dimittere, & Spiritum dare, Dei solius est.  
 Ambros.*

*Christus non creatura, sed uerus Deus est: quia ea  
 facit, quæ Deus. Habet opera diuina, non creaturæ,  
 sed Creatoris. Quia dat gratiam & pacem. Ea autem  
 dare,*

dare, est peccatum damnare, mortem destruere, diabolum cōculcare. Ista nullus angelus donare potest. Cū aut hęc Christo tribuantur, necesse est eū esse naturam Deum. Lutherus Gal. 1. in prioribus editionib.

*Sin ille posthac cessit à sententia,  
Hac orthodoxa, à ueritate cesserit,  
Et à seipso, carne mutans spiritum.*

Gal. 3.

*Huc adde: Caesar Carolus Quintus tuam  
(Pro singulari erga Deum fide sua,  
Cui se potestatemq; cœlitus sibi  
Datam referre uni professus est libens,  
In obtinenda spe beatitudinis,  
Et premij certi perennis gloria,  
In muneratorem suum gratissimus)  
Hanc heresim pridem sua sententia,  
Christo suam quo uindicaret gloriam,  
Quod improbauit, lege lata sanciens:  
Ne Vadiani quis libellum perlegat,  
Carnem creaturam esse regis gloria,  
Regumq; regis, & omnium dominantium  
Domini unici, qua terra, qua cœlum patet,  
Dialecticæ armis asserentem subdolis.*

Apocal. 19.

*Nescire quam te Principis lectissimi,  
Aut (si tibi fors cognita est) contemnere,  
Vehementer admiror piam sententiam,  
Sanctis petitam è litterarum fontibus,  
Scitis & antiquis sacrorum cœtuum,  
Probisq; doctrinis uetustorum patrum,  
Sententiam nostræ coronidem piæ  
Professionis, & probati dogmatis:*

*Spes gloria et  
Deificationis  
Christianorum.* *Communio cum Deo fiduciam,  
In qua fidelium stat deificatio,  
Spes unde nostrae pendet omnis gloria.*

*Salutare  
Dei.* Per Prophetas Deus promisit salutare suum se facturum omni carni uisibile, ut fieret Filius hominis ad hoc, quò & homo fieret Filius Dei. Irenæus libro 3. cap. 11.

Hoc factum est Verbum, quod nos sumus: id est, homo, suum plasma in seipsum recapitulans. Idem.

De uentre Dauid (qui uirginis Mariæ uenter est) suscitatur rex æternus, qui recapitulat omnia in se. Idem ibidem cap. 31.

Verbum homo factum, ut hominem coniungeret Deo: ut regeneraret homines in Deum: ut in carnem Domini incurreret paterna lux, & à carne eius splendida ueniret in nos, ac sic demum homo ueniret in incorruptibilitatem lumine paterno circumdatus. Idem lib. 4. cap. 37.

Verbum homo factum, reformauit genus humanum. Idem cap. 41.

Homo participat gloriam Dei, & peruenit ad perfectum. Idem.

Idcirco hominem assumpsit illa maiestas, ut nos efficeret deos. Athanasius.

Verbum Deus caro factum est, ut per Deum uerbum carnem factum, caro proficeret in Deum uerbum, Hilar. libr. 1. de Trinit.

Cum Christo me cõsepeliri oportet, cum Christo confurgere, cum Christo hæreditatem cernere, Filium Dei fieri, Deumq; adeò nominari. Greg. Theol. in orat. funebr. fratris sui.

In resurrectione nouissima, anima corpus totum in seipsam consumens, cum illo unus erit spiritus, & mens,

mens, & Deus: & à uita fluxum & mortale deuorabitur. Idem ibidem.

Finis mysterij, ut homo inclinatione ad Deum dei ficetur: *ω ἴσως τὸ μυστήριον, τὴν πρὸς θεὸν ψυχῆς διέμνησεν.* Idem.

Christiani ab una natura accenduntur & lucent, ab igne diuino Filij Dei: & habent lucernas ardentes in cordibus suis, & splendent coram eo, adhuc in terra uersantes, sicut & ipse. Ait enim: Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis. Quapropter *Christus.* Christus uocatus est: ut eodem quo ipse est unctus oleo, & nos uncti Christi simus, eiusdem (ut ita dicam) essentia, & unius corporis. Rursus enim dicit: *Christi.* Sanctificans ipse, & sanctificati ex uno omnes. Sin in ipsis ex lucerna deitatis non relinquatur, nihil sunt. Macarius Aegypt. homil. 43.

Atq; hæc est spes illa uiua, in quam, secundum multam misericordiam suam Deus nos regenerauit, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis: ad hæreditatem incorruptibilem, incontaminabilem, immarcescibilem, &c. 1. Petr. 1.

Vt fiamus diuinæ participes naturæ. 2. Petr. 1.

Et cum nunc Filij Dei simus, quamuis nondum manifestum sit quid futuri simus: quòd tamen sciamus, nos illi similes fore. Quoniam uidebimus eum, sicuti est. 1. Ioan. 3.

*Christo nam in ipso est portio cuiuslibet  
Nostrum caro sanguisq;: quatenus caput  
Est ille nostrum, membra nos & illius  
Corpus, caro eius carnis, ossa & osium,*

Eph. 1. 5.  
Colos. 1.  
Rom. 12.  
1. Cor. 6.  
Eph. 4. 5.

Est in ipso Iesu Christo Domino nostro uniuscuiusq; nostrum portio, caro & sanguis. August. *Communis  
Christi fidelium cura  
Christo.* Medit. lib. cap. 14. Nos sumus membra eius, & caro eius, &c. Ibidem.

Caput suo non dissitum est à corpore,  
 Suisq; membris. nemo carnem odit suam:  
 Sed quisq; diligit, fouet, complectitur.  
 Eph. 5. Quod maximum Paulus refert mysterium,  
 Christum inter ipsum, & inter ipsam Ecclesiam.

Nemo unquam carnem suam odio habet, sed fo-  
 uet & diligit eam. Caro nostra nos diligit: Diligit  
 carnem suam, membra sua, & uiscera sua. Ibidem.

Est sanguinis cuiq; prerogatio,  
 Carnisq; nostrum in eo. Proinde ubi portio  
 Iam nostra regnat gloriam obtinens suam,  
 Regnare nos ibi gloriosos credimus,  
 Eph. 2. Resuscitati qui superna ascendimus,  
 Cælestibus cum illo locati sedibus.

Habemus sanguinis nostri prerogatiuam in ipso.  
 Vbi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo.  
 Vbi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse  
 cognosco.

In Christo surreximus, & iam cælos ascendi-  
 mus, & in cælestibus consedimus. Ibidem.

Sanguis ubi noster imperat, dominariet  
 Et nos ibi certa fide sentiscimus.

Vbi sanguis meus dominatur, ibi dominari me  
 sentio. Ibidem.

Peccator etsi sum, tamen fiducia  
 Communionis spem facit mihi gratia.  
 Natura & ipsius mee communio  
 Tecum mihi qua Christe summa interuenit,  
 Et unde me peccata retrahunt mea,

Communis

*Communis hic requiritur substantia  
Tua meæq; carnis atq; sanguinis,  
Tua ipsius qui membra amas & uiscera.*

Quamuis peccator sim, de hac tamen communione gratiæ non diffido. Et si delicta mea me excludunt, naturæ communio non repellit. Et si peccata mea me prohibent, substantia mea requirit. Ibidē.

*Spes unde nostra pendet omnis gloria:  
Ad uerba cæpta nam reuerii conuenit.*

*Hanc te decebat Cæsaris legem sequi,  
Si ueritas te forsitan mouit parum:*

*Qui purpuram magis colis, quàm ipsum Deum,  
Modo huc, ut Euripus, modo illuc fluctuans,  
Prout temporis mutabiles ferunt uices.*

*Perquàm uenustè, nec minus uerè tamen,  
Dixit sophista quod bonus Themistiùs,  
De Proteis, polypis, chamalcontibus,  
Et de cothurnis cuilibet dextris pedi,  
Ut hoc meus clarè docet Nicephorus,*

*Proclue certè dicere atq; credere  
Foret, creaturam esse Filium Dei:  
Ni Trinitatis unicus summa decor,  
Aequalitas & uniformis gloria,  
Nec non sacrarum litterarum ueritas,  
Et ipsius fidei reclamet regula.*

Non esset difficile Christum credere creaturam.  
Cyrillus in Thesaur. lib. 12. cap. 15.

*Summè ergo constat impium esse & perfidum,  
Iudaicum planè atq; Musulmanicum,  
Ipsam creaturam uocare Filium,*

*Patris*

Theologi &  
Christiani uè  
tosi & temp-  
tantes.

Gravissima  
est Creatori  
stari hæc.

*Patris unici unigenam, Patri non disparem.*

Magna est impietas, Filium Dei creaturam appellare. Idem ibidem.

*Nam Christianam funditus tollit fidem,  
Si non secunda & una persona est Dei  
In Trinitate Christus ipse simplici:  
In qua creature nihil planè est loci.*

Fides S. Trini-  
tatis propria  
est Christiano

*In Trinitatis namq; sacratissimo  
Fidelium sita est salus mysterio;*

*Hæc sola & una nos beat professio,*

*10an. 17. Vitamq; sola & una conferi perpetem.*

Salus credentium, mysterium Trinitatis est. Hieronymus.

In trium proprietate personarum unam potentiã, unam gloriam, unam cognosce naturam: ne cum Iudæis ac Patripassianis, sine tribus personis filium aut Spiritum sanctum neges: aut sine una substantia, cū gentilibus tres deos credere comprobêris. Faustus episcopus.

*Verbum editum est à Patre: Verbum cætera  
Cuncta edidit, gessitq; hominem: quem & perditū  
Redemit, & Patri reconcilians suo,  
In illius sedem locavit dextram:  
Parentis & Christi charisma Spiritus  
In corda diffusi fidelium sacri,  
Et patris & gnati uigorem corpori  
Nostro ingerit, diuina complens munia.*

Edere nam Verbum Patris est, at cætera Verbi:  
Assumptū gestare hominem, reparare peremptum,  
Conciliare patri, dextraq; in sede locare,

Spiritus

Spiritus ista Dei complet. Deus ipse fideles  
 In populos charissima suum diffundere promptus,  
 Et patris & Christi uirtutem in corpora transfert.  
 Prudentius.

*Pater creauit, recreauit Filius:*

*Nos Spiritus sanctus gubernans perficit,  
 Aeternitatem & preparat mortalibus.*

*Alijs Deum esse plurimis liquet satis.*

*At Christianis, unus & trinus Deus  
 Solis colitur: Pater, Patrisq; Filius,  
 Et huius illiusq; Spiritus sacer,  
 Honore, maiestate, numine par Trias.*

*Hæc nos fides ab heresi omni separat,  
 Iuxta sacratas ritè culta litteras.*

Deum esse, multis notum est: sed quòd Pater sit,  
 & Filium habeat, paucis. August.

Ecclesia non solum credit Deum creatorem esse  
 creaturarù, (nam hoc & Iudæi sciunt, & Græci) ue-  
 rum etiam Patrem esse unigeniti, non modò creati-  
 uam obtinentem efficaciam (unde creator intelli-  
 gitur) sed quoq; propriè & unigenitè generatiuam,  
 iuxta quam Pater unigeniti à nobis intelligitur. Epi-  
 phanius aduers. Semiarianos.

*Verùm age: creaturam asserens gnatum Dei,  
 Christum esse, qua natus caro, atq; à mortuis  
 Ipsi superstes mox sibi, nunc dextimus  
 Regnator aſidet Deo summus Patri,  
 Quo predicaminum locabis ordine?  
 Et cuius heresis uoles censerier  
 In classe, dogma multiformiter impium?*

Nam

Nam quod creaturam uocas carnem Dei  
 In gloriam assumptam Patris: commune ha' es  
 Hoc Ebionis Cum Ebione. Quanto nam, rogo, discrimine  
 est. Distat, merum Christum uocare perfide  
 Homuncionem? Et impie Christum Deum,  
 Hominemq; Christum eundem & unicum tamē,  
 Hoc Staphy Homo quatenus fiet, creatum dicere?  
 h. Seu tu creaturam magis dictum uelis?  
 Et hic & illic heresis certē est grauis,  
 Ingens & orthodoxia penuria  
 Vring—

Ebionis nomen apud Hebræos à paupertate de-  
 ductum. Niceph.

—Verbo quòd tamen Dei sum  
 Numen relinquis (rite siquidem id facis,  
 Verbumq; non infirmitatis arguis,  
 Illud quasi carnem nequiuert suam  
 Replere gloria & potentia sua,  
 Parem quam habet cum Patre: qua calumnia  
 Notet Patrem quoq; & potentiam Patris,  
 Ipsamq;, cuius cuncta sunt equalia  
 Pariaq;, Trinitatem) ab illo discrepas.  
 Quin Arii quodam modo Maurij  
 Fidem nouas, carni negando gloriam,  
 Quam tu creaturam uocare non times:  
 Coniunctio cum summa sit, sit & unio  
 Verbi simul cum carne perfectissima,  
 Vt alterum non segregari ab altera  
 Prorsus queat (quod antè supra diximus)

Perfectau-  
 uio Verbi &  
 carnis in  
 Christo.

Pietate

*Pietate salua Christiani dogmatis.*

*Verbi Arius diuinitatem sustulit,*

*Verbi Patrisq; pernegans ὁμοῦσιον:*

*(Qua uoce designatur una essentia)*

*ὁμοῦσιον at tu carnis & uerbi improbens,*

*(Cultum Dei paremq; honorem intellige)*

*Diam abrogas carnis beata gloriam,*

*Quantum est in illo & te situm. O miserimi.*

Processit Deus cum assumptione, è duobus contrarijs carne & Spiritu unum. Quorum hoc deificauit, illud deificatum est. Greg. Theol. in homil. natal.

Vnus Dominus, unus Christus, unus Rex in Patris dextra sedens, corporale & spirituale. Vna unio, una deitas spiritualis, utraq; lucida & gloriosa, Epiphani. contra Ariomanit.

*Operaq; eadem aliam ruens in haresim,*

*Damnationis mergeris uoragine,*

*Que spiritu Antichristiano percita*

*Christum unicum dissoluit ausu perfido,*

*Diuisione dirimens huiusmodi:*

*Verbum ut creator sit, caro sed ordinem*

*Teneat creatura: Quod ineptè & impiè*

*Persona in una pradicatur: si tamen*

*Substantie unam duplicis hypostasim*

*Dei hominis furiosa credit haresis.*

*Quæ si negatur esse, quæ nam tandem erit*

*Iesu negatio, obsecro? Dicas licet*

*In carne eum uenisse, si Verbo tamen*

*Unitum Deo, Christumq; factum perneges:*

*Vnde*

*Solutio Christi  
si Antichri-  
stiana-*

*Negatio Ie-  
su.*

Christus Rex  
& Pontifex.

Vnde ille episcopi atq; principis sacrum &  
Regale nomen obtinet? gnatum negans,  
Modo hoc, nec ipsum habeas patrē. Quæue unice  
Christi solutio, unctionem si probans,

Solutio Chri-  
sti.

A carne Verbum diuidas nihilominus,  
Geminæq; natura unicam dispartiens  
Hypostasim feces? Et insuper feces

S. Trinitatis  
sectio.

Sanctissimam Triadem? —

Secundum subsistentiam, unitatem dicimus factam, & ipsum Verbum humanæ naturæ secundum ueritatem unitum. Cyrillus Alexandr.

Seis ne hæretice, in quo spiritu dicas Christum creaturam?

Cur creaturam eum potius quàm Deum dicis? Hilar. de Trinit. lib. 8.

Quis, inquit, est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? Hic Antichristus est. Negans enim Filiū, neq; Patrem habet: confitens uerò Filium, & Patrē confitetur. I. Ioan. 2.

Omnis spiritus qui confitetur Iesum in carne uenisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est. Et hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam uenit, & nunc iam in mundo est. Ibidem cap. 4.

Caro Christi facta est unctione Deo æqualis. Greg. Theol. in homil. Paschal.

Christus homo unctione factus Deus. Idem in fine lib. 4. de Theolog.

Scimus quòd Filius Dei uenit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus uerum Deum, & simus in uero Filio eius Iesu Christo. Hic est uerus Deus & uita æterna. I. Ioan. 5.

Ex qui-

Ex quibus (patribus) est Christus, secundum carnem: qui est super omnia Deus benedictus in secula. Rom. 9.

Omnes prophetæ, & omnes sancti, portionem quandam diuini Spiritus, prout capere poterant, à Deo acceperunt. In Christo autem omnis plenitudo diuinitatis habitauit, atq; habitat corporaliter. Cassianus libro 5.

Sicut dicimus Deum humanatum, ita hominem deificatum, in unione diuinæ naturæ ad humanam. Diuina natura non est mutata, sed humana est exaltata. Et potius debet dici in Christo humana natura deificata, quàm diuina humanata. Si debemus dicere, quod homo est Deus, & Deus est homo: nullum inconueniens est dicere, hominem esse deificatum. Bonauentura in 3. Sent.

— Sed errori tuo,

*Spero, illico celerem remittes nuncium:  
Etiamq; cogitabis atq; etiam probe  
Tecum, de eis quid ille' nam Theodosius  
Perquam seuera lege Caesar sanxerit,  
Unigenitum Dei, unicumq; Filium:  
Dei alterum uerbum, atq; Christum, qui alterum  
Dicunt: id est, qui sensus est tuus, alterum  
Deum creatorem, creaturam alterum:  
Et autor huius execrandi dogmatis  
Simul uidebis sine quo sit mortuus.*

Nestorij ex  
191.

Præterea (Theodosius inquit) sancimus, qui impiam Nestorij fidem æmulantur, aut nefariam eius doctrinam sequuntur, ut, siquidem episcopi sint, aut clerici;

clerici, Ecclesijs eijciantur: sin uerò laici & popula-  
res, anathemate feriantur. Niceph. lib. 14. cap. 36.

Nestorius in extremis Thebarum Aegyptiarum  
oris, locum ex loco mutans, postremò uersatus est:  
ubi terra rupta coopertus atq; oppressus, uitam hanc  
amisit. Ita ille, lingua eius prius à uermibus corrosa  
ingemiscens & lamentans, ad maiora & sempiterna  
supplicia migravit: Arius alter ultimo uitæ suæ actu  
habitus. Qui quidem satis, quæ præmia in Deum ia-  
ctas blasphemias maneant, declarauit. Ibidem.

Inuitatur  
Staphylus ad  
pænitiã.

*Et te explicans labyrinthis recessibus,  
Deoq; Christo debitam dans gloriam,  
Et orthodoxam comprobans sententiam,  
Ecclesiæ matris redibis in sinum.*

*Nec te pudebit publicè palinodiam  
Humilis canentem obire pænitiæ  
Ritus sacros, tua tibi si curæ est salus:  
Ut & tibi ipsi consulas, & omnibus  
Errore tanto compeditos quos tenes,  
Tuum sequentes dogma detestabile.*

*De qua Dea seductione calculos*

2. Tim. 4. *Incomputabiles feres grauissima  
Rationis, illa quando uenerit dies.*

Epilogus. *Sin multa contra, quod soles, conscribere,  
Sophisticam & tuam uoles ostendere,  
Rem ego breue omnem conferam in compendium,  
Confessionis Christianæ clausulam.*

*Virum hunc IESVM, quem Deus fixum cruci  
Resuscitatum, & eleuatum dextera  
Sua, paracleti datorem Spiritus,*

*Dominum*

*Dominum fecit, renunciauit atq; Messiam:  
 Qui ritè regem non habebit gloria,  
 Regem quog; ipsum non habebit gratia:  
 Sed gratie spreta seuerum indicem,  
 Et gloria grauem imminuta uindicem.*

A.C.A.

F I N I S.

SVBSIDIVM ET CONFIRMATIO  
 DEFENSIONIS HVIVS, PER AV-  
 THORITATEM Beati Gregorij Nazanzeni Theologi: qui  
 per breui Epigrammate Arianam & Nestorianam re-  
 fellit hæreses, ἁμοῦσιν ἑ; Patris & Filij, & ἰσίδιον Verbi &  
 carnis in Christo glorificato, lucu-  
 lenter asserit.

**N**ΗΠΙΘ, ὅσις ἀνακτα θεῦ λόγον αἰετὸν εἶναι,  
 ἔσβετ' ἰσοθέως πατρός ἐπερανίς.  
 ΝΗΠΙΘ, ὅσις ἀνακτα λόγον, βροτὸν εἶητα φανσίτα,  
 ἔσβετ' ἰσοθέως ἑρανίσιό λόγῃ.  
 τέμνφ δ' ἡ μεγάλιο πατρός λόγον, ἡ ἐ λόγιο  
 μορφίω ἀδρομέλυ και πείχθ ἡμέτερον.  
 ὡ θεός, ἀλλ' ἐπάγη, πατρός λόγθ, ἡμέτερθ φῶς,  
 ὡσπε θεὸν μίξη μικτὸς εἶων χθονίοις.  
 εἰς θεὸς ἀμφοτέρωθε, τὸσ' αὐ βροτὸς, ὅσων ἐμ' ἐρδην  
 ἀντὶ βροτῶ θεόν, ἰλαθι πρῶτθ αὐῶ.  
 τὸσων ἔχοις, τί δέ μοι γένθ αὐ και μίξιν ἄφραστον  
 ἀμφὶ θεόν; θνητὶ σέργετε μέτρα λόγῃ.  
 εἰ μὲν δ' ἡ πεπίθοιμι, τὸ λῶιον: εἰ ἡ μελαίνοις  
 τὸν χαρτῶ πολλοῖς χιλιάσιν ἐπέων.

Hominis  
 Christiani de  
 sensio.